



Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

6. Transactiones cum hæreticis semper infeliciter cecidisse, quod exemplis ostenditur Concilij Ariminensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

VI. Anno CCCXXV. Damnata in Synodo Nicena Arrij blasphemiam, cum Patres laborarent, quo maxime nomine Filij divinitatem exprimerent, nam quæ illi Arriani tribuebant, videlicet *Potentia, similitudinis, Imaginis, æterni*, æquè creaturis aptabantur; occurrit vox *homousij*, seu *Consubstantialis*, quam ex ipsis litteris Eusebij Nicomedienfis hausere, is enim tanquam absurdum inferebat, videlicet: (a) *Sequi filium Dei esse Patri consubstantialem, si semel admittatur, esse increatum.* Intremuit ad has voces hæresis Arriana, quibus se proditam videbat, nullo amplius latebris loco; sed communi à Patribus plausu accepta est. Nihil non actum ab Arrianis, ut eam expungerent, jurabant, se Catholicos, submittebant se Decretis Nicenis, Filio Dei divinitatem asseriebant, nec æquum esse, ut Orbis & Ecclesiæ scinderentur unius voculæ gratiâ. Audi Hieronymum: apud quem ita Arriani: (b) *De usua nomine abijcenda verisimilis ratio præbatur, quia in scripturis non invenitur, & multos simpliciores novitate suâ scandalizat, & idè placuit auferri: nec erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.* Et idè contra hanc unam vocem, velut arcem veræ Religionis totis viribus in Concilijs, Hierosolymitano, Antiocheno, Sirmiensi ac Ariminenfi ab Arrianis pugnatum est: nunquam tamen persuaderi Catholicis potuit, ut in publicis fidei Confessionibus hæc voce abfisterent, quamvis eam populum discordiarum Arriani appellarent, eaque sublatâ pacem promitterent. Nec alia de causa Liberius Pontifex, Patrèsque Concilij Ariminenfis in Ecclesia pulsati sunt, adèd ut Hieronymus diceret: (c) *Conclamantem fidem Concilij Niceni, Orbemque se Arrianum miratum esse: quàm quod voce Consubstantialis abstinerent, concordiæ studio. Sed quid hæc indulgentiâ Concilij Ariminenfis (d) profectum est? nisi ut ipsos Patres postea puderet, & ignaviæ ab Ecclesia, Romanoque Pontifice damnarentur, ipsi verò Arriani in pejus laberentur; nam cum vocem Consubstantialis abjecissent, substantia retinere, tum hujus vertæsi, (e) *per omnia similis*, postea *similis* tantum, & tandem *Dissimilem* reddiderunt: tanti fuit hæreticis detulisse.*

VII. Anno CCCCLXXXII. Zeno Imperator edictum vulgavit, quod Henoticum appellatum est, spe, obtentuque, Eutychanos hære-

(a) Ambros. de fid. ad Grat. lib. 3. cap. ult. (b) Hieron. ad Lucifer. (c) Hieron. ibid. (n) Concil. Arim. anno 359. (e) V. Baron. ad ann. 359. n. 38.